



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
CASUM MORBI SCROPHULOSI
UNA CUM EPICRISI.

24
Q U A M
RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DUCE AC DOMINO

D O M I N O
C A R O L O
DUCE WIRTEMBERGÆ ET TECCIÆ REGNANTE
REL. REL.

P R A E S I D E
GUIL.GODOFREDO PLOUCQUET

PATHOL. ET PRAX. PROF. P. O.
P R O G R A D U D O C T O R I S M E D I C I N Æ
R I T E I M P E T R A N D O

PUBLICO EXAMINI SUBMITTET
D I E A U G . M D C C X C .

A U C T O R
J O A N N E S U L R I C U S S C H A E R ,
A R B O N E N S I S .

TUBINGÆ. TYPIS REISSIANIS.

DISSEMINATIO IN SUGGERENDI MEDICA

DE TUBA

GAZON MORNI SCOPHIDI 251

DE TUBA

GAZON MORNI SCOPHIDI 251

DE TUBA

DE TUBA

CAROLUS

DE TUBA

GAZON MORNI SCOPHIDI 251

DE TUBA

DE TUBA

GAZON MORNI SCOPHIDI 251

DE TUBA

DE TUBA





Iuvenis phlegmaticæ temperiei a primis ætatis suæ annis sanitate satis bona gaudebat, morbosque infantia communes feliciter expertus erat. — Verminatione quidem subinde vexabatur, quæ vero anthelminticis remediis facile cedebat. Anno autem ætatis duodecimo scabiem per contagium contraxit, cuius molestiæ ultra dimidium annum perdurabant, omnibus remediis, sive laxantibus, sive sanguinem depurantibus, immo & balneis incassum adhibitis, donec tandem unguento ex mercurio præcipitato rubro fugaretur. Appropinquante autem vere A. 1785 denuo scabies erumpebat, nunc humida, cum antea sicca fuisset, pertinaciter omnibus remediis, sive externis sive internis resistens, usque dum aestate 1782 balnea frigida in lacu Podamico, cuius aquæ virtutes contra hunc morbum omne vulgus laudat, morbum tandem perfecte tollere viderentur, ulteriori absque incommodo. At ejusdem anni autumno dolores oculorum infestabant, sine ullo quidem rubore, sed cum perpetuo acris feri effluxu, molestaque ad lucem visus sensibilitate. Mucilagines ex semine cydoniorum paratæ per plures hebdomadas applicabantur optimo cum successu, debilitas tantum visus restabat. Anni 1783 Vere dolores oculorum redibant, qui tum supra laudatis remediis, tum errhinorum usu, quibus feri & mucii larga copia ex naribus eliciebatur, post duos menses tollebantur. A. 1784 iuvenis patria urbe excedebat, quo simul vitæ genus mutabat, ita ut, cum antea corpus frequenter movisset, & diæta fere in univèrsum vegetabili usus esset, vitæ nunc sedentaria, studiis consecranda in domicilio satis humido ipsi esset agenda, simulquæ diæta magis animalis, ipsi offerebatur. Statim Scabiei exan-



themata denuo erumpebant, quæ adhibitis medicamentis, massam humorum corrigentibus, & simul laxantibus, facile quidem cedebant, at ab eo ipso tempore omnis corporis habitus morbosus esse incipiebat; Nimirum glandulæ sinistri lateris submaxillaris & pars parotidis absque notabili inflammatione turgescerant; Mense junii cum faciei pallida inflatione, labium superius tumidum reddebatur, albuginea cœruleo potius quam albo colore tincta apparebat lingua, albedo mucæ obducebatur, appetitus desiciebat, cum membrorum lassitudine. Interim hæc omnia diætæ & vitæ regiminis mutationi, quæ forsitan evolutioni serophulosæ acrimoniæ ansam dederant, adscribebantur. Anni tempus una cum illis indicantibus usum succorum recentium antiscorbuticorum suadebant, quibus quidem per aliquot hebdomadas sedulo usurpatis, manifestus effectus, sive in melius, sive in pejus non observabatur — subungebatur hisce usus infusi Ligni quassia, quibus primarum viarum robor augetur, tumen- tia autem circa collum loca emplastro diachylon composito tegebantur, & frequentior corporis motus commendabatur. Digestionis vires revera hisce corroborabantur, at glandularum tumor indies augebatur & indurabatur, ut mense augusto ruborem contrahere, & inflammari inciperent, & sub finem ejusdem mensis puris in iis collecti adeo manifesta indicia apparerent, ut ex cultro apertis plures, faniei potius aquosæ, quam cocti puris Unciæ effluerent; lenta suppuratione ulcera tandem abstergebantur & ad finem Septembris cicatrice obducebantur; Aegrotus quodammodo restitutus esse videbatur, licet anorexia, virium defectus, lassitudo, digestionis tarditas non satis redintegratas viscerum functiones testarentur; quæ tamen continuato quassia usu subinde sublevabantur. Ad februarium 1785 cicatrices istæ madescere de novo incipiebant, & vicinæ etiam glandulæ præter prius affectas tumidæ & duræ reddebantur, idem faciei tumor, quasi leucophlegmaticus, labii superioris inflatio, abdominis tensio præsertim circa præcordia tamen absque duritie manifesta, alvi segnities, dyspepsiæque reliqua symptomata revertabantur. Evacuatis primis viis Solutio Extracti conii maculati proponebatur,

eique Liqueur terræ foliatæ Tartari addebatur, ejusque ufus ad quatuor usque hebdomadas continuabatur, adeo exiguo vel nullo tamen cum effectu, ut potius appetitus indies magis deficeret, ardor ventriculi continuo vexaret, sensus & externi & interni hebetiores redderentur, cum universali virium muscularium languore & torpore, ulceraque utut magis purulentam, copiosiore tamen continuo materiam funderent, tumore glandularum interim adeo non immunito, ut potius ad parotides semper magis extenderetur. Aeger itaque conium inutile, etsi largiorem urinæ effluxum produceret, seponerat, eique usum cinchonæ officinalis substituebat, cujus infusum ex aqua calida factum eum saltem effectum edidit, ut appetitus rediret, molestus iste circa cardiam ardoris sensus evanesceret, vires & animi & corporis alacrius vigerent, tumores duri glandulosi mollescerent, citiusque maturefcerent, & sub finem aprilis pus contentum pluribus ex locis effunderent. Repetebatur & hoc vere usus succorum antiscorbuticorum, qui vero nullam in melius mutationem plures post hebdomades producebant; ulcera enim continuo pus modo verum, modofaniosum fundere pergebant, cachecticus autem corporis habitus supra descriptus minime corrigebatur, sed potius augebatur. Hinc ad usum laudatissimi alias in hisce affectibus *æthiopsis antimonialis* æger accedebat, ast hujus non majus quam ceterorum, licet ultra quatuor hebdomadas porrigeretur, erat auxilium, & cum nauseam excitare tandem inciperet, pulvis ex cinchona, Ligno quassia, rhabarbaro & sale ammoniaco ei substituebatur, quo appetitus & vires restaurari videbantur. Sub initio Augusti ægro consulebatur, ut per aliquot tempus amicum rure degentem inviseret, ibique æris mutationem & frequentiore corporis sub dio motum in sanitatis suæ commoda vertere conaretur; quod tam feliciter succedebat, ut vires in dies magis vigerent, appetitus rediret, omnis corporis habitus & faciei in primis color sanitatem in multo melius versam esse testaretur, abdominis tumor & durities evanesceret, ulceraque usque ad finem Septembris omnia cicatricibus, profundis quidem & inæqualibus consolidata essent. Insequens hyems admodum ægro fave-

favebat, primarum viarum impuritatibus digestionisque exinde sequentibus incommodis exceptis, quæ vero frequentiori digestivorum & evacuantium usui facile cedebant. Sed ineunte vere a. 1786 ab initio Martii duo ex illis posterioribus temporibus exortorum ulcerum iterum serum tenue plorare incipiebant; digestionis incommoda denique increfcebant, cachexiæque reliqua tum externa, tum interna signa apertius iterum sese prodebant. Decoctum radicis sarsaparillæ concentratum largis dosibus nunc propinabatur, sub cuius usu ulcera copiosius pus fundebant, per sudores & urinas copiosæ evacuationes contingebant; interponebantur lenia laxantia, & per plures hebdomadas continuatis hisce remediis infusum quassia subungebatur. Cum vero & hæc medicamenta exoptatum usum minime præstarent, refractæ tartari emetici doses, incipiendo a grano dimidio & ascendendo ad grana duo intra nycthemerum tentabantur; per duas hebdomadas ejus usus continuabatur absque manifesto effectu. Rarissime nauseam creabat medicamentum, sudorem leniter movebat, novæ interim glandularum ad latus colli strarum indurationes & inflammationes oriebantur, quæ successu temporis perinde ut reliquæ dilutum pus fundebant, & cum medicamentum istud omnem appetitum adimeret, & vires digestionis adhuc magis debilitare videretur, ab ejus usu desistere æger cogebatur. Perusus, mali fontem ex parte in visceribus abdominabilibus hæerere, sic dictorum visceralium aperientium usum iterum inchoabat, & extractum centaurei minoris cum Liquore terræ foliata tartari adhibebat, post aliquot hebdomadas cinchonam jungens. Appetitus ex hoc tempore redibat, ulcera autem purulenta fundere pergebant. Ad brachium lateris affecti sub initium Junii exutorium applicabatur, quod post breve tempus elapsum largam suppurationem producebat; sed simul post aliquot hebdomadas tumorem ad anteriorem partem infra articulationem cubiti cum humero duobus circiter digitis distantem, durum, immobilem, profunde ossibus quasi inhaerentem excitabat. Applicabatur ipsi emplastrum resolvens Schmuckeri ex gummi ammoniaco, asa foetida, sapone & aceto constans, cujus in hisce casibus eximia virtutis exempla mihi quotidie occur-

occurrerant; sed tumor indies magis elevabatur, cum rubore cutis; Fluctuatione tandem manifesto apparente, ope cataplasmatum emol- liebatur, maturus, sponte aperiatur, & aliquot uncias puris aquo- si flavi effundebat, post aliquot hebdomadas tandem sanabatur. Augustus mensis itineri in Glaronenses regiones alpinas dicabatur, jam primis itineris diebus dolorosam intumescenciam testiculi dextri & funiculi spermatici hujus lateris sentiebat æger, quæ vero situ hori- zontali, adhibito suspensorio & applicato emplastro diachylon com- posito cum mercuriali mixto intra aliquot dies resolvebatur — Ad hibebatur nunc Tinctura antimonialis Thediana & aquarum Fabaria- narum (Pfefferer Wasser) usus, hæc & ær rusticanus cum cor- poris motu frequentiore juncta valetudini optime convenire, & uti habitum corporis omnem, sic & ulcerum malignorum conditio- nem corrigere videbantur. Hinc usus Tinctura illius per aliquot menses continuabatur; & ad finem Novembris ulcera omnia erant cicatricibus obducta. Per totam hyemem tolerabilis ad modum erat ægri conditio, ita ut studia sua prosequi minime impediretur. Ine- unte autem vere 1787 glandula colli indurata iterum apparebant, etiam ulcus illud ad brachium de novo aperiatur, sinusque profundos ostendebat, cultro aperiendos; facies iterum pallida, tumida, abdo- men durum, tensum & hepar ita obstructum videbatur, ut infra mar- ginem costarum spuriarum ad aliquot digitos transversos extendere- tur, cum anorexia, dyspepsia, alvi excretionem inordinata, mox du- ra, mox fluida. Extractum conii nunc tentabatur cum liquore ter- ræ foliatæ Tartari mixtum, at eodem, quo supra dictum fuit, effectu, ardorem nimirum molestum ventriculi, nauseam, hebetudinem sen- suum, vertiginem, lassitudinem membrorum producebat, neque tam- en abdomen mollius reddebat, glandula colli indies magis intume- scabant, ulcus ad brachium sanum semper eandem fundebat. Sub- stituebatur hinc Extractum centaurei minoris cum tartaro tartarifato; quod priora incommoda tollebat, digestionis saltem vires egregie corroborabat. — Mense aprilis iterum rustici æeris salubritatem ex- periri æger tentabat, & per aliquod tempus apud expertissimum me- dicum

dicum Kellerum in Weinfeldem morabatur, cujus fusu concentra-
to specierum Lignorum decocto utebatur, idque aliquoties repetebatur,
absque ullo tamen effectu. Omnibus itaque haecenus in cassum ad-
hibitis, vires mercurii in agro experiri decernebatur. Hinc medio
Maji mercurius dulcis ad 3 grana cum magnesia calcinata mixtus
bis per diem propinabatur, cuius dosi Decocti graminis, cichorei, &
Taraxaci aliquot unciae subjungebantur. Per octo dies nil mutabatur,
omnes excretiones eodem ordine pergebant, alvus tamen solito mol-
lior & quotidie vel semel vel bis deponabatur, interposito laxante,
pergebat æger in usu mercurii & cuius dosi unum granum addeba-
tur, post octo insequentibus dies nausea oriebatur, appetitus deficiebat,
muco copioso lingua obducebatur, abdomen & glandulæ ad collum
mollescere videbantur; interposito rursus laxante, mercurii usus con-
tinuabatur, ita ut pro quavis dosi quatuor nunc grana præscriberen-
tur, post 10. demum dies gingivæ tendebantur, cum solito oris fœtore,
interponebatur laxans, quod pituitæ copiam expellebat, abdomen
nunc manifesto detumescerebat, ita ut manifestissime nunc hepatis durus
tumor manu tangi posset, tumores colli omnes jam molles & pure
refertæ; sex mercurii grana bis nunc per diem sumebantur, & per
duodecim dies continuabantur, post octo dies eadem revertentur
incommoda, nausæ, conatus vomendi, os viscosum non mutatis
tamen reliquis excretionibus, glandulæ colli dehiscerebant, & cum ulcere
brachii admodum dolente, tenacem mucosam purulentam materiam
exhibebant. Post interpositum purgans octo mercurii grana bis de
die sumebantur, & sic porro quovis octiduo interposito laxante doses
mercurii augebantur, ut tandem 36 grana quovis die præter inun-
ctiones mercuriales ad residuos colli tumores applicatas absumeren-
tur, ita ut a medio Maji ad finem Julii duæ cum dimidia mercurii
dulcis unciæ interne & aliquot drachmæ vivi externe adhibitæ fuerint,
quæ tamen insignior quantitas nullam manifestam excretionem ex-
citabat, eas evacuationes omni octiduo per purgans institutas, & lar-
gissimum ulcerum fluorem si exceperis — Interim glandularum ob-
structurarum reliquæ, tum resolutione, tum suppuratione tollebantur,
refi-

residua tantum virium, digestionis praecipue, debilitate, ad quam tollendam mercurialium usu finito per mensis spatium quassiae infusum adhibebatur; corpus motu frequentiore & balneis frigidis & medicamento illo roborabatur. — Ab hoc tempore usque ad annum 1790 per intervallum itaque trium fere annorum optima sanitate gaudebat noster, excepto narium catarrho, quo omni hyeme cum levamine afficiebatur, — ast initio veris 1790, postquam Viennâ Turicum iterum reversus esset, glandulae colli denuo intumescebant, digestionisque labefactatae signa apparebant; purgatis primis viis concentrato sarsaparillae decocto per aliquot hebdomadas utebatur, sine effectu; glandulae enim indies magis & incrementum & majorem duritiam acquirebant, hinc extractum conii cum Tartaro tartarifato substituebatur, quod vero incommoda prorsus eadem, quae supra notata fuerunt, excitabat, mitiganda quidem addito extracto rhabarbari, quod alvum leniter movebat; verum remedium hoc, per integrum mensē continuatum, ne minimum effectum salutarem praestabat, sed glandulis ad maxillam semper tumidioribus factis & tandem suppuratis novae ad collum jungebantur. Ad Glaronenses alpes iter nunc instituebat ager, ut apud amicum sanitate suae eo commodius prospicere posset, praemisso ergo laxante mercurium dulcem cum china nuptum iterum sic adhibebat, ut mane & vespere tria illius grana, duos vero scrupulos hujus sumeret, & libram feri lactis unam postquamvis dosin ebiberet — Post aliquot dies unum granum mercurii dulcis cuivis dosi addebatur, eo effectu, ut nunc mox gingivae tenderentur & graviter olerent, deglutitio difficilis redderetur, & salivatio oriretur, quibus apparentibus misso mercurio, praeter gargarismata, purgantia, & decoctum Lignorum adhibebantur; post octiduum illa symptomata evanescerent, sudores nunc apparebant copiosi, specifico odore praediti, ultra hebdomadam continuantes, glandulae istae ad colli dextrum latus suppurabantur, & ad uncias sex puris saniosi fundebant, uti & vetusta illa ulcera eadem sanie continue madebant; quibus siccandis residuisque callositatibus solvendis denuo mercurius at minoribus dosibus una cum usu succorum expressorum

B

anti-



antifebriciticorum & feri lactis adhibebatur, post aliquot dies salivatione oborta, purgans subjungebatur, & postea usus feri lactis solus continuabatur. Cum autem ulcera non corrigerentur, initio Maji repetebatur mercurius, ita ut doses sensim iterum augendo ad duodecim grana per diem ascenderet aeger, quae dosis alvi purgationes frequentes producere incipiebat, hinc ab ejus usu nunc desisteat & Decoctum concentratum cichorii, graminis, taraxaci sumebat eo tandem effectu, ut nunc callositates ulcerum profus emollitae sint, saniei effluxus minor, & reliquus corporis habitus omnino in melius fit mutatus.

EPICRISIS.

§. I.

Ex proposita observatione ea tantum eliciam corollaria, quae ex hoc ipso casu manifesto fluunt. Propositum itaque morbum fuisse scrophulosum, omnia recensita symptomata, ejus decursus, quin & ipsa pertinacia satis superque demonstrant.

§. II.

Dispositio, quam vulgo ut morbi praedisponentem causam accufant, haereditaria, hic locum non habebat, cum neque aegri parentes, neque ceteri vel fratres vel sorores hujus vitii aliqua indicia unquam exhibuerint, neque & aegrotus ante morbi consummati insultum cachexiae scrophulosa ulla senserit incommoda.

§. III.

Phlegmaticam vero humorum temperiem, & cum ea conjunctam solidorum laxitatem, debilitatem imprimis vasorum lymphaticorum praecipue in glandulis partem rationis scrophularum in se continere, hic ipse casus manifeste docet.

§. IV.

§. IV.

Et uti in genere dubitandum non est, systematis lymphatici labem, & lymphæ ad coagula & stases pronitatem inter propriores mali causas recte referri *), sic & omnia morbi symptomata produunt, istud systematis glandulosi & lymphæ vitium adfuisse.

§. V.

Quemadmodum cacochymia & acrimoniae varii generis, hosce effectus sapissime produunt, ita &, uti *Cl. Selle* observat, exanthemata scabiosa crebro cum signis hujus acrimoniae scrophulosa sunt conjuncta; id quod etiam hoc confirmatur morbi casu. Etenim non dubito, quin diuturna illa scabie tum corpus fuerit debilitatum, tum forsitan retropulsa materiae scabiosae pars ad systema lymphaticum fuerit translata, & Lymphæ vitium istud impresserit.

§. VI.

Causas autem occasionales quod attinet, patet, vitæ rationis mutationem nimis subitam, diætæ animalis majorem ad vegetabilis consuetæ rationem, vitam sedentariam, ærem domicilii nimis humidum, uti in plurimis aliis sic & in hoc casu fuisse ad producendum morbum efficacissimas.

§. VII.

Quæ autem vera sit acrimoniae scrophulosa indoles, uti frustra de ea hætenus cogitarunt Medici, sic etiam ex hoc morbo plenariam, omnibusque numeris absolutam indolis morbi explicationem deduci haud posse, ultro fatemur.

§. VIII.

Esti negare nolim, posse in quibusdam casibus singulare, & sui generis virus scrophulosum locum habere, tamen longe abest, ut id ipsum semper & ubique adeste, flatui queat. Placet qui-

B 2

busdam

*) *Bourden*, Prix de l'Acad. d. Chir. T. III. p. 52.

busdam miasma specificum scrophulosum: *) Neque tamen firmioribus argumentis niti persuasus sum illorum suspensionem, quibus miasma subesse videtur **) syphiliticum vel carcinomatofum & licet diverforum horum morborum connubium frequenter existere non negem, & illorum observationes venerer, quibus ex degenerato viru syphilitico scrophulosum enatum fuisse, visum est.

§. IX.

Potius cum *Junckero* persuasus sum, quæ subest in hoc malo systematis lymphatici & humorum labes, non uni cause esse adscribendam. Esse alias in aliis. Culpanda esse: 1.) Coctionem malam. 2.) Debilitatem universalem, præcipue autem organorum coctioni inservientium. 3.) Acrimoniam eamque non semper unius generis, modo syphiliticam, modo scabiosam, modo aliam, quæ autem omnes ita agant, ut lymphæ spissitudinem inducant. Probe novi, Medicos neotericos, prout seculum ab uno extremo in alterum rapitur, sic dictam humoralem pathologiam fere omnem evertere velle, & omnem rei cardinem in solidis eorumque vitis, in stimulis in systema nervicum agentibus & hujus in illos reactione poni; verum illi ipsi stimuli, contagiosi, alique vel sunt plerumque humores, sive inquinati, sive adventitii, corrupti, cum œconomia animali male harmonici, quamvis dein universalis humorum alteratio alterato nervorum solidorumque influxu adscribi debeat.

§. X.

In nostro certe casu non facile negari poterit si ad prædisponentes & ad occasionales causas attendatur, ex quorum connubio proxima efficitur, Lymphæ spissitudinem solidorum laxitate & acri

*) *Borden* Prix de l'acad. d. Chid. T. III.

**) *Bierchen* v. *Krebschæden*. *Gamet* Theor. nouv. sur les maladies cancreuses.

acrimoniae scabiosae admixtione potissimum fuisse inductam; qualia similia Exempla leguntur in egregia *Jos. de Floris* Diff. de scrophulis. L. B. 1780.

§. XI.

Ex eadem humoris & Lymphæ spissitudine reliqua omnia, quæ morbum concomitabantur, symptomata, viscerum indurationes, testiculi intumescencia, facile explicari poterunt.

§. XII.

Inter anni tempestates, ver morbo quam maxime favet. Reiterata enim in hoc casu experientia docuit, ineunte vere morbum recidivum, per æstatem mitiorem factum, ad autumnum vero potissimum imminutum fuisse. Ceterum qui veris tempore omnes tum occasionales tum prædisponentes morbi causas augeri cogitaverit, hunc morbi decursum anni tempestatibus respondentem non mirabitur.

§. XIII.

Nulla quidem est systematis glandulosi pars, quæ ab hoc malo non afficitur, attamen præ reliquis patiuntur conglobatæ glandulæ colli. Cur id ita se habeat, cur adeo præ reliquis in indurationes sint pronæ atque idoneæ, id a causis occasionalibus partes has præ reliquis afficientibus maxime dependere credo.

§. XIV.

Neque tamen & internarum partium glandulas Lymphaticas, a malo immunes esse, tum morbi consummati symptomata, tum sectiones demortuorum docent. *) Tandem & ipse iste casus manifeste indicat, causam ægritudinis quæ subest, latissime interdum

B 3

per

*) De *Floris* Diff. cit.

per omne systema vaforum lymphaticorum tam externi, quam interni, corporis diffundi.

§. XV.

Quod autem cachexia ista scrophulosa varias adeo uti in hoc sic & in reliquis ludat scenas, id præcipue pendere videtur a partium, quæ morbi potissimam vim experiuntur, atque causarum, quæ sociæ sunt & superveniunt, diversitate.

§. XVI.

Physiognomiam morbi externam & in nostro casu tumor labii inferioris, leucophlegmatica faciei intumescencia, cæruleus albugineæ oculi color præter ipsos glandularum tumores fistebant. *)

§. XVII.

Primarias pro morbo tollendo indicationes in eo consistere, ut Lymphæ acrimonia specifica disquiratur, eadem mitigetur, tenacitas & spissitudo corrigatur, robur autem relaxatis solidis, præcipue lymphatico systemati reddatur, cui non constat? Inter illa autem huic indicationi quam maxime respondentia remedia nulla hæctenus esse inventa, quæ inter cetera, specifica quadam vi, ad omnes & singulas scrophulas appropriata, emineant, etiam ex data observatione patet.

§. XVIII.

Quod autem hæc vel illa eminentem virtutem exseruerint, exinde potissimum derivaverim, quod vel resolvente vel roborante sua vi uti in reliquis sic & in hoc morbo ceteris præverint, tum quod convenientior diætæ, regiminis, & æris usus effectui medicamentorum melius favorit.

§. XIX.

Conium certe in casu substrato specificam vim non exerebar, sed

*) Bordeu Prix de l'acad. d. Chir. T. III. p. 67. Macbride Einleit. i. d. Arzmk. P. II. p. 1003.

sed digestionis organa magis debilitando & nervos afficiendo potius nocere videbatur. Quæritur omnino, an conium in omnibus serophulis sanandis conveniat, an potius in singulari morbi specie tantum eas laudes mereatur, quas tam profusa manu ipsi tribuerunt ejus patroni. *)

§. XX.

Neque magis conferebant antimonialia, multis laudata. **) Inter quæ ceterum Tinctura ista Thedenii maximum usum spondere videbatur, an revera ob virtutem internam excellentiorem reliquis antimonii præparationibus, vel potius quod sub ejus usu cetera regiminis & diætæ officia accuratius observabantur, determinare non ausim.

§. XXI.

Persuasum quoque habeo, uti in reliquis similibus, ex laxitate solidorum & humorum viscida tenacitate pendentibus morbis frigidis, sic & in hoc morbo curationis momentum non minimum in eo positum esse, ut tempus rite observetur, quo resolventia post digestiva sint applicata, quo illis purgantia vel emetica aut interponenda aut admiscenda — quorumque resolventium usus sit continuandus — quo tempore roborantia addenda & quadam ratione — quo tandem morbi stadio roborantium usus & qualium sit proficiuus, & quousque continuandus.

§. XXII.

Mercurii vires ***) erant ceteris omnibus quam efficacissimæ; num ejus ipsius vires solæ id præstitissent, nisi simul, quod hæctenus negligebatur, diætæ, regiminis, æris mutationes accessissent;

*) Bierchen. l. c. p. 56. Mefans de Cazelles Journ. de Med. T. XXXIV. p. 270. Rutty obs. med. Lond. V. III. p. 198. Richter chir. Bibl. H. P. III. p. 83. *De Floris* Diss. cit. §. 12.

**) Malouin. Prix de l'acad. l. c. Marx obs. med P. I. p. 3.

***) Borden, Gourfaud, Charmetton. Fouquet in Prix. de l'Ac. Chir. I. c. Theden. Neue Bemerk. Bierchen. l. c.

sent, iterum vel affirmare vel negare non audeo. Id autem memoratu dignum mihi videtur, quod in largissimis illis adhibitis dosibus neque salivationem produxerit, neque ullam aliam excretionem manifesto adauxerit. Usus frequentior purgantium & continuus diluentium causam, attamen non sufficientem indicat. Per cutis vasa, quorum fudor salivantium habitui simillimum odorem spargebat, potioem copiameductam, vel vim ejus eodem maxime versam fuisse, credibile est.

§. XXIII.

Id autem mirum videbatur, mercurium ad morbi finem longe minori quam antea adhibitu dosi, citioem & copiosioem produxisse salivationem; quod vero e corroborato solidorum tono, adaucta fibra irritabilitate, (in quam longe magis quam in humorum crasin virtutem mercurii efficacem esse puto) facile explicaverim — hinc etiam connubium Mercurii cum roborante cinchonæ vi tantum præstabat. (*

§. XXIV.

Exutorii efficacia non multum laudanda erat, sed potius ob ulceris pertinaciam ad brachium, malum ne minimum quidem mitigantis, vituperandum esse videtur. — Licet non negem, adesse casus, ubi utilia esse possint, ibi nempe, ubi a morbi initio humorum acrimonia quædam citius educi feliciter potest, antequam systema lymphaticum penitus infecerit.

§. XXV.

Ex quibus omnibus concludo, curationem morbi scrophulosi rationalem, cognitis causis tum occasionalibus tum disponentibus & ad harum nutum erutam diversam specierum indolem dicatam, empiricæ cuius curationi, semper & ubique esse præferendam.

*) Fordyce & Fothergill Med. Obs. and. Inquir. Vol. I. Band. Vol. II. Bierchen I. c. Bordeu. I. c.




✓

01 A 6631

ULB Halle
004 931 246

3





24

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
CASUM MORBI SCROPHULOSI
UNA CUM EPICRISI.

QUAM
RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DUCE AC DOMINO

DOMINO
CAROLO
DUCE WIRTEMBERGÆ ET TECCIÆ REGNANTE
REL. REL.

PRAESIDE
GUIL.GODOFREDOPLOUCQUET
PATHOL. ET PRAX. PROF. P. O.
PRO GRADU DOCTORIS MEDICINÆ
RITE IMPETRANDO
PUBLICO EXAMINI SUBMITTET
DIE AUG. MDCCXC.

AUCTOR
JOANNES ULRICUS SCHAER,
ARBONENSIS.

TUBINGÆ. TYPIS REISSIANIS.

